

jus & Petrus Mullerus, f) ita & quoad evitandas antinomias id ab ipsis observari fuisse impossibile, vel inde apparet, si quis saltem consideret & modum excerpenti ex tot diversis iisque dissentientibus Jctis, & multitudinem operariorum ad hæc excerpta adhibitorum, etiamsi ii fuissent viri eruditissimi.

47. Interpolarunt etiam sententias veterum Jctorum parum eruditè & cum summa confusione jurisprudentiæ, unde Wissenbachio integer Libellus emblematum Triboniani natus. Etsi enim Tribonianismo hoc non fuerit crimen commissum, cum Imperator potestatem hanc compilatoribus dederit, g) imprudenter tamen factum, quod emblemata hæc non fuerint signo aliquo notata, sed ipsis Jctis, præpositione propriorum nominum adscripta.

48. Porro quod antinomias attinet, etsi multi sudent ac sudaverint in iis conciliandis, h) ac omnia potius Jcto esse tentanda adhuc hodie asserant Jcti eximii quidam,

f) Primus in *Thesouro Variarum Lectionum*; Secundus de *Jurisprudentiâ mediâ*; Tertius in *de studio juris*. g) *Præcogn. Hopp. c. 2. §. 9.* h) *J. D. Beyer. d. l. §. 20.*